



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XIV. De quorundam devotorum ardenti desiderio ad Corpus Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)



## CAPUT XIV.

*De quorundam devotorum ardenti desiderio ad Corpus Christi.*

## VOX DISCIPULI.

I. **O** Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! Quando recordor devotorum aliquorum ad Sacramentum tuum, Domine, cum maxima devotione & affectu accedentium, tunc sæpiùs in me ipso confundor & erubesco : quòd ad altare tuum, & sacræ Communionis mensam, tam tepidè & frigidè accedo.

Quòd ita aridus, & sine affectione cordis maneo : quòd non sum totaliter accensus coram te Deo meo : nec ita vehementer attractus & affectus sicut multi devoti fuerunt, qui præ nimio desiderio Communionis, & sensibili cordis amore, à fletu se non potuerunt continere.

Sed ore cordis & corporis pariter ad te Deum fontem vivum medullitùs inhiabant, suam esuriem non va-



lentes aliter temperare nec satiare, nisi Corpus tuum cum omni iucunditate & spirituali aviditate accepissent.

2. O vera ardens fides eorum, & probabile existens argumentum sacrae praesentiae tuae!

Illi enim veraciter cognoscunt Dominum suum in fractione panis, quorum cor tam validè ardet in eis, de Jesu ambulante cum eis.

Longè est à me saepe talis affectus & devotio, tam vehemens amor & ardor.

Esto mihi propitius, Jesu bone, dulcis & benigne: & concede pauperi mendico tuo, vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire, ut fides mea magis convalescat; spes in bonitate tua proficiat & charitas semel perfectè accensa, & coeleste manna experta, nunquam deficiat.

3. Potens est autem misericordia tua, etiam gratiam desideratam mihi praestare, & in spiritu ardoris cum dies beneplaciti tui venerit, me clementissimè visitare. Ete-



Etenim licet tanto desiderio tam specialium devotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua, illius magni inflammati desiderii desiderium habeo, orans & desiderans, omnium talium fervidorum amorum tuorum participem me fieri, ac eorum sancto consortio annumerari.

## CAPUT XV.

*Quod gratia devotionis humilitate & sui ipsius abnegatione acquiritur.*

## VOX DILECTI.

1. **O**portet te devotionis gratiam instanter quærere, desideranter petere, patienter & fiducialiter expectare, humiliter conservare, studiosè cum ea operari, ac Deo terminum & modum supernæ visitationis, donec veniat, committere.

Humiliare præcipuè te debes, cum parum aut nihil devotionis interiùs sentis; sed non nimium dejici, nec inordinatè contristari.

Dat sæpè Deus in uno brevi mo-